

SILVESTRI II CARMINA

I.

Epigramma Gerberti episcopi Ravennæ, post pontificis Romani, quod sic se habet inscriptum ad imaginem Boetii.

[Baron. *Annal. eccles.*, tom. VII, Append. pag. 5.]

Roma potens dum jura suo declarat in orbe,
Tu Pater et patriæ lumen, Severine Boeti
Consulis officio rerum disponis habenas,
Infundis lumen studiis, et cedere nescis.
Græcorum ingeniis; sed mens divina coerce.
Imperium mundi; gladio bacchante Gothorum,
Libertas Romana perit: tu consul et exsul,
Insignes titulos præclara morte relinquis.
Nunc decus imperii summas qui prægravat artes,
Tertius Otto sua dignum te judicat aula,
Æternumque tui statuit monumenta laboris,
Et bene promeritum meritis exornat honestis.

II.

Epitaphium regis Francorum Lotharii.

[Apud Duchesn. *Script. rer. Franc.*, tom. II,
inter epist. Gerberti.]

Cujus ad obsequium coiere duces, bonus omnis
Quem coluit, sate Cæsaribus, monumenta doloris

A Cæsar Lothari prætendis luce secunda,
Terrifici Martis quod eras conspectus in astro.

III

Epitaphium ducis Friderici.

[Ibid.]

Francorum placito nomen tulit hic Friderici:
Quem proavi fudere duces a sanguine regum,
Officio meritisque parem sopor ultimus hausit.
Mercurii cum celsa domus tibi, Phœbe, pateret.

IV.

Epitaphium Adalberti Scholastici.

[Ibid.]

Edite nobilibus studium rationis adeptæ,
Dicit Adalbertum te Belgica flore juventæ,
Stare diu non passa, tulit fortuna recursus,
B Bis senas Februi cum produxisset Apollo.

V.

Epitaphium Ottonis imperatoris.

[Ibid.]

Cujus ad imperium tremuere duces, tulit hostis
Quem dominum populique suum novere parentem,
Otto decus divum, Cæsar charissime, nobis,
Immeritis rapuit te lux septena decembris.

SPURIA AUT ALIENA

ACTA CONCILII REMENSIS AD SANCTUM BASOLUM

AUCTORE GERBERTO ARCHIEPISCOPO

(Apud Pertz, *Monumenta Germaniæ historica*, Script. tom. III, pag. 658.)

INCIPIT PROLOGUS SYNODI REMENSIS¹⁹.

Licet æmuli mei dentes in me exacuant, dictaque et facta proscindere parent, plus tamen amicorum obsequio quam invidorum odio permoveor. Non enim, ubi non erat timor, timere didici, nec amicorum infecta relinquere negotia. Accingor igitur, et summarum quidem genera causarum in Remensi concilio exposita breviter attingam, ut et gestorum veritas innotescat, et quæ a summis viris retractata sunt agnoscantur, Peto autem ab hujus sacri conventus prælatis, si quid minus grave vel parum comptum expressero, non suæ injuriæ sed meæ ascribi ignorantiae; ab auditoribus quoque, ne me aliena vel parum dixisse denotent. Siquidem triplici genere interpretationis utendum²⁰ fore censeo; scilicet

C ut quædam ad verbum ex alia in aliam transferantur linguam; in quibusdam autem sententiarum gravitas et eloquii dignitas dicendi genere conformentur²⁰; porro in aliis una dictio occasionem faciat, et abdita investigari, et in lucem ipsos affectus manifeste proferri. Quæ etsi ad plenum assequi non potuero, his tamen modis doctissimorum hominum sententias conabor interpretari. Sed earum amplificationes, digressiones, etsi qua ejusmodi sunt, quodam studio refringam, ne odio quarumdam personarum potissimumque Arnulfi proditoris moveri videar, quasi ex ejus legitima depositione Remense episcopium legitime sortitus videri appetam. Alterius erit hoc operis aliisque implicitum questionari-

VARIE LECTIONES.

¹⁹ i. G. Papæ f. ²⁰ indum corr. utendum 2. ²⁰ ita 1, 2.